donné par M[r]. le Marquis de paulmy.

HORTVLVS HERMETICVS FLOSCVLIS PHILOSOPHORVM CVPRO INCISIS CONFORMATVS, & breuissimis versiculis explicatus

Quo

CHYMIATRIÆ STVDIOSI PRO PHILOTHECA VTI, FESSIQVE Laboratoriorum ministri recreari poßint.

AVTHORE
M. DANIELE STOLCIO de Stolcenberg Bohemo, Med: Cand: Poeta Lau: Cor:



FRANCOFVRTI,
Impensis LVCÆ JENNISII.
AN. M. DC. XXVII.

AD LECTOREM PHILO-chymiatrum.

VT releues animum proles Vulcania fessum,
Hortulus ecce tibi noster apertus erit.
Inuenies in eo flores fontemque perennem,
Quod iuuet hinc oculis nare vel ore bibes.

MAGNI-

MAGNIFICIS VIRIS

Nobilitate, virtute & eruditione præstantissimis,

DN. MARCO CONRADO à RECHLINGA, &c. S. Cæs. Maj. & illustriss. ac Celsiss. Ducis Virtembergici Consiliario;

NEC NON

DN. PHILIPPO HAINHOFERO, Illustriss. & Celsissimi Ducis Pomeraniæ à Consiliis, Patronis & amicis suis perpetua observatione colendis & honorandis.

S. P. D.

SIngularis vestræ erga me Benevolentiæ Nobilissimi & clarissimi viri, non immemor perpetuo gratitudinis vinculo me vobis obstrictum lubens fateor. Quamprimũ enim augustam vestram Augustam attigeram, vobis antea nunquam visus, nunquam notus, tum illico virtutis vestræ immortali laude dignæ fructus eximios deprehenderam. Inprimis verò tu Nobiliss: & Clarissime D.

 Marce

Marce Cunrade me tuis ædibus ſplendidiſſimis exceperas, omnia humanitatis officia præſtiteras, adhæc Occaſionem qua facilius & fælicius Italiam viſitarem ſuppeditaveras. Tu verò Nobiliſſ: D. Hainhofere me amore & fauore tuo erexeras, colloquiis ſuauiſſimis exhilaraueras, adhæc celeberrimam illam tuam Philothecam, (cui parem in mea Peregrinatione non vidi neque vnquam viſurus ſum) ad perluſtrandum exhibueras.

Quare cum nunc non liceat pro meritis veſtris parem referre gratiam, aliquod ſaltem debitæ meæ gratitudinis vobis publicè offerre volui teſtimonium. Accipite igitur hoc præſens exiguum grato animo Opuſculum, meque vobis etiam in poſterum bene commendatum habete. Ego daturus ſum operam, vt veſtræ erga me Beneuolentiæ nunquam vos pæniteat. Valete. Dabam Longenauiæ.

Veſtræ Nobilitati

Ad officia promptus ac paratus

D. STOLCIVS.

AD

AD CANDIDOS LEctores.

SOLIS illud eximium iubar, Lectores Cãdidissimi, à veritate Temporis filia magis ac magis in apricum producitur. Quamuis Auari Oculorum caligine laborantes ob nebulas in quib. perpetuo morantur id videre nullo modo possint. At fidelissimi rerum naturaliũ Indagatores hoc lumine ceu numine gaudent, & ad laudes Conditori decantandas per id excitantur.

Hinc etiam ij, quibus olim risui & ludibrio Chymiatri fuere, iã tot testimoniorum multitudine victi, tantoque Conualescentium numero adacti, imò propria Experientia edocti & adducti, Vulcano palmam dare, eique votiuam hæderam suspendere cogũtur. Vulcanus itaque iam vbiuis colitur, ei arę quã

plurimæ eriguntur, & non tàntum à tenuioris ſortis hominibus, ſed etiam à Principibus & Monarchis eidē litatur. ô fælicem Hygeiam tanto Parente! ô fælicem Æſculapium tanto Patrono! At vos ſacratiſſimi tanti Dei miniſtri

Queis meliore luto finxit præcordia Titan

Huc huc adeſte, vtque laborum veſtrorum aliquod leuamen, Phæbique obnubilati ſolamen habeatis in hunc noſtrum Hortulum exſpatiamini. Hūc quidem Mylianum agnoſcite. At meludentem & cantillantem, quantum negotia patiuntur abſque moleſtia audite. Mea enim hæc Ætas neſcio quo pacto magis ad luſus quam ad labores prona videtur. Verum enimvero ſi noſtri iuueniles luſus vobis placuerint, dabo operam vt poſthac ſeria tractem, animoſque veſtros non tam inanibus ſpectaculis quam profundioribus Apollinis noſtri myſteriis exhilarem. Valete.

AD

AD

ORNATISSIMVM ET HUMANISSIMVM VIRVM

Dominum

LUCAM JENNISIUM,

Amicum meum chariſſimum

Anagramma.

LUCAS JENNISIUS
IN SINU LUCIS EAS.

LVx oritur mundo: Tu Chriſti dilige lucem,
Quod facis, INq; SINV ſic bene LVCIS EAS.
Lux ea te pariter radiis luſtrabit amœnis,
Et dabit optatum tangere poſſe bonum.

I
HERMES TRISMEGISTVS Ægyptius.

Quicquid in æthereo clausum reperitur Olympo,
Illud humus proprio fertque fouetque sinu.
Quicquid Terra terit, Cælum tenet id quodque: Verum,
Cælum cælesti, sed proprio illa modo.

II.
ADFAR ALEXANDRINVS PRÆceptor Morieni.

Cynthius est nostri thalami Pater atque Maritus,
At Coniunx niueis Cynthia cincta comis.
Filius hocce toro tenera generatur in aura,
Effigie Matris præditus atque Patris.

III.
CLEOPATRA ÆGYPTI REGINA.

Enthea vis Sophiæ est, quam summi larga Tonantis
Dextera præcipuo ponit in Orbe loco.
Hanc tamen occultat ne fiat præda malorum.
Rara datur raris tanta Corolla viris.

IV.
MEDERA FOEMINA ALCHYmistica.

Quisquis Alithiæ non nouit Regna beata,
Nescit is Hermetis vascula mira Senis.
Verum Naturæ lento vestigia passu
Qui sequitur, veras vase videbit opes.

Quod



HERMES TRISMEgistos, Ægiptiús. | ADEAR ALEXANDRInus, Præceptor Morieni.

CLEOPATRA ÆGYPTI Regina. | MEDERA FŒMINA Alchÿmistica.

Quod eſt ſuperius eſt ſicut id quod eſt inferius.

Sol Coniugij noſtri eſt Pater, Mater vero Luna alba.

Diuinum eſt de Sapientia Domini, gentibus occultatum.

Qui neſcit regimen veritatis, ignorat Vas Hermetis.

V.

CALID REX ÆGYPTI SARACENUS Morieni Diſcipulus.

Vt tener optatas Infans generetur ad auras,
Et poſsit vitæ ducere fila ſuæ:
Tertius ecce Patri magno Matrique tenellæ
Succedit, flammas qui regit Igniuomas.

VI.

MARIA HEBRÆA MOYSIS Soror.

Fumus amat fumum, rurſuſque adamatur ab illo.
Nam ſimili quoduis gaudet ouatque ſuo.
Candida ſed celſis quæ creſcit montibus herba
Hunc fumum foliis haurit vtrumque ſuis.

VII.

THAPHVNTIA FÆMINA PHILOſophica.

Eſt geminum gummi, primum cuius color albet
Alterius rubeo ſic velut Igne micat.
Hæc duo iunge ſimul, thalami primordia noſtri
Adſpicies, fœtus creſcat vt inde bonus.

VIII.

EVTHICA FÆMINA PHILOSOphica Arabica,

Contra flammiuomum quod pugnam ſuſcipit Ignem
Noſtrum (ceu fas eſt) ſulphur id eſſe puta.
Sed tamen illius vires quod ſuſtinet in ſe,
Id tu Mercurij nomine noſſe potes,



CALID REX ÆGIPTI
ſaracen9. Morieni diſcipul9.



MARIA HEBRÆA
Moÿſis ſoror.



THAPHVNTIA FOEMI-
na philoſophica



EVTHICA FOEMINA
philoſophica Arabica

Patri & Matri tertius ſuccedit qui eſt gubernator Ignis.

Fumus complectitur fumum, & herba in montibus capit vtrumque.

Matrimonium fit in duobus gummis Albo & Rubeo.

Quod aduerſus Ignem pugnat, eſt Sulphur, quod ipſum ſuſtinet eſt Mercurius.

IX.

CALID HEBRÆVS FILIVS Gazichi.

Summa Magisterij nostri mysteria quæris?
Acquires vano nulla labore tuo.
Si tamen illa roges fundendo vota Iehouæ
Grata exoptati meta laboris erit.

X.

MVSA CALIDIS à DISCIPLINA.

Vt carpas gratos Sophiæ Puer Optime flores
Ad studium fac Cor ardeat Igne tuum.
Nam Præceptores tibi erunt velut organa quædam,
Per quæ larga tibi munera Ioua dabit.

XI.

ANAXAGORAS CHAZOMÆnius Philosophus.

Igne micans Aurum quid sit, si forte requiras?
Aut Anima Argenti quid tibi significet?
Vel si scire cupis medius quid Spiritus ille?
Omnia sunt noster nil nisi Mercurius.

XII.

XAMOLXIS PYTHAGORÆ Comes.

Auxiliante Deo rerum cui summa potestas
Continues animo Delphica cæpta pio.
Sic ex angustis posthac augusta videbis
Et referes studij præmia digna tui.



CALID HEBRÆVS Filiús Gazichi. | MVSA CALIDIS à Disciplina.



ANAXAGORAS CHAzomoeniús Ph9. | XAMOLXIS PYTAgore Comes.

Adoratione Dei non fortitudine tua Magisterium creatoris hauritur.

Et præceptores Piorum ſunt Mediatores ad Sapientiam diuinam.

Sol ardens, & Anima Lunæ, medio Spiritus, nihil ſunt quam Mercurius.

Comite Deo & Pietate ex anguſtis ad auguſta peruenio.

XIII.

DEMOCRITVS GRÆCVS ALchymista.

Non ignota tibi sint primo pharmaca nostra
Ignita, vt cæptum ritè sequatur opus.
His etenim densi spoliabis Corporis vmbram,
Vt pateant oculis interiora tuis.

XIV.

PYTHAGORAS GRÆCVS Philosophus.

Qui vis magnorum penetral á scire Sophorum,
Sæpius hæc animo volue reuolue tuo:
Quæ sit Materies, ex qua Deus omne creauit,
Hanc postquam poteris noscere, doctus eris.

XV.

HERACLITVS PHILOSOPHVS.

Principium primum, cunctarum denique rerum
Ignis Apollineus fons & origo fuit.
Hoc sine non poteris nostrum spectare laborem,
Atque tuus pariter furnus inanis erit.

XVI.

APOLLONIVS TYANÆVS Philosophus.

In Patria propria quis magnus quæso Propheta?
Agricola at Plantas transitione iuuat.
Tu si Latonem vis reddere splendidiorem
Huncce peregrinis transfer ad alta locis.

Pharma-



DEMOCRITVS GRÆcus Alchÿmiſta



PYTAGORAS GRÆcus Phÿloſophus.



HERACLITVS Philoſophus..



APOLLINVS TYAneus Philoſophus.

Pharmaco ignito ſpoliatur denſi Corporis Vmbra.

Hęc in Natura perſcrutanda,ex quibus DEVS omnia creauit.

Ignis eſt Principium omnium rerum.

Nullus in Patria naſcitur Sapiens Propheta.

XVII.

MICHAEL PSELLVS PHILOsophus.

Mens cum Natura Terram deducit ad imam
Propitiumque sibi reddit ab Axe Deum.
Sic Animus noster Natura jutus ab ipsa
Detrahit è Cælo corpus Apollineum.

XVIII.

MORIENVS ROMANVS PHIlosophus.

Materiam nostri quam quæris in Arte Laboris,
Putridus in vili stercore fimus habet.
Eius enim varias licet hinc cognoscere vires,
Quod vegetans Terram germina ferre juuet.

XIX.

ARTEPHIVS ARABS PHILOsophus.

Naturæ Lumen Sapientiaque integra Mundi
Per triplicem numerum cuncta creata fouet.
Est Anima, est Corpus, tum iungens Spiritus illos.
Sic tria sunt: Sal, cum Sulphure, Mercurius.

XX.

ALPHIDIVS ARABS PHILOsophus.

Noster Apollineos qui Falcifer augeat artus
Vt crescant, pretio venditur exiguo.
Ante coronatus Regni quam Sceptra gubernet,
Diuitibus pariter pauperibusque patet.

Natura



Natura & Anima è Cælo DEVM deducunt.

In sterquilinio putredinis nostræ est initium & causa sine qua non.

Sapientia Mundi circa tria versatur Animam Corpus & Spiritum.

Magno pretio non emitur, in via eiectus est pauperi atq:e diuiti.

XXI.
AVICENNA ARABS PHILOſophus.

Aereis tollens pennas Iouis ales in oris,
Bufoque terreſtris,quod cupis illud habent.
Tu Cælum Terræ,fixum coniunge volanti:
Sic Aquilæ Bufo ritè iugatus erit.

XXII.
GEBER ARABS PHILOſophus.

Omnia Sol radiis illuſtrat ab axe benignis,
Vique ſua ſuaui cuncta vigere facit.
Omnia Sal ſeruat,ſegetes,animalia,& vndas.
Hic tibi Sol ſolus cum Sale ſufficiet.

XXIII.
GILGIL MAVRVS PHILOſophus.

Nunquam Terra ſuis generat tepefacta cauernis
Abſque,metalla,ſuo Sulphure,Mercurio.
Sic tu Tincturam poteris producere nullam,
Hæc duo ni iungas qua decet arte ſimul.

XXIV.
HAMVEL PHILOSOPHVS.

Quæ facilis Ratio tibi & Experientia dictat,
Hæc ſequere,optatum ritè ſequetur opus.
More Aquilæ ad nitidum vertas tua lumina Solem,
Quamprimum ad Terram cygnea colla cadent.

Aquila



AVICENNA ARABS
Philoſophus.



GEBER ARABS
Philoſophus.



GILGIL MAVRVS
Philoſophus.



HAMVEL PHILO-
ſophus.

Aquila volans per Aerem, & Bufo gradiens per terram eſt Magiſterium.

In Sole & Sale Naturæ ſita ſunt omnia.

Natura non producit Tincturam abſque ſulphure & Argento viuo.

Ratio & Experientia fundamentum Operis firmum ſtabileque ſuperædificat.

XXV.

SENIOR PHILOSOPHVS.

Luna tuum Natum ſplendentia tollit ad Aſtra
Spiritus,vt vires hauriat æthereas.
Ergo ita ſtelliferis ſublatus ad alta cothurnis,
Naturam excedet Mater amanda tuam.

XXVI.

RASIS PHILOSOPHVS.

Gumen lac cogit,Lac noſtrum gumina ſoluit,
Hinc Orientalis Sanguis in Arte rubet.
Eſt Aquila atque Leo,Solis cum Sulphure Luna.
Auxilium præſens hæc tibi iuncta dabunt.

XXVII.

MITIGO PHILOSOPHVS.

Quamuis conculcent homines Animalia & ipſa
Hunc Lapidem hos omnes negligit ille tamen.
Nam tantum manibus tractatur Philoſophorum,
Hos amat inprimis diligiturque ab iis.

XXVIII.

MALVS PHILOSOPHVS.

Diuinus Lapis hic ſubtus te eſt,imo & apud te,
Circa te,& ſupra teque tuumque caput.
Ergo oculos aperi,luſtrando dona Iehouæ
Naturæ lumen iam loca cuncta vident.

Gene-



SENIOR PHILO-ſophus. | RASIS PHILO-ſophus.



MITIGO PHILO-ſophus. | MALVS PHI-loſophus.

Generatio Filij Lunæ totam ſuam parentelam præualet.

Gumẽ coagulat Lac, & lac noſtrum diſſoluit gumen, inde rubedo Sanguiſque Orientalis.

Lapis quamuis ab animalibus & Hominibus contemnatur, tamen à Sapientibus adamatur.

Hic Lapis eſt ſubtus te, ſupra te, erga te, & circa te.

XXIX.

ROSINVS PHILOSOPHVS.

Ignarus rerum feriit Colocynthida telo,
Inde putans Sortis mella futura bona.
Tuquoque ne pariter Pomum cogaris amarum
Mandere, prudenter fellea mella fuge.

XXX.

MASSARAI PHILOSOPHVS.

Cum Lapis immundus Terræ generetur in antris,
Spernitur à vulgo negligiturque nimis.
Hunc tamen impurum purgat bene turba Sophorum,
Corporis vt spreto carcere ad Astra volet.

XXXI.

DANTES PHILOSOPHVS.

Soluite in humorem benè Corpora nostra parata,
Imbibite atque illo germina Spirituum.
Sic Iuuenis blandæ jungetur amore puellæ,
Illorum incendet dum modo pectus Amor.

XXXII.

GALIENVS PHILOSOPHVS.

Corpora purgando reparate & soluite, tandem
Cogite, tumque super corpora proiicite.
Illinc Coniugibus surgent noua gaudia mille
Dum cernent thalami pignora grata sui.

Ignoran



RESINVS PHILO„ ſophus.



MASSARAI PHI„ loſophus.



DANTIVS PHI„ loſophus.



GALIENVS Philoſophus.

Ignorans ignoranter ferit Colocynthida, & ſperat inde mel Infortunij.

Immunditia Lapidis facit Homines vilipendere, & non ſequeſtrare.

Præparate Corpora & ſoluite ea, ex eaque Aqua Spiritus imbibite ablutos.

Corpora præparate, purgate, ſoluite, coagulate, & proiicite ſuper Corpus.

XXXIII.

MAHOMET PHILOSOPHVS.

Noſter in Arte Lapis trahit ex Animalibus ortum.
Namque capit radios pulcher Apollo tuos.
Hinc Homo ſydereus, camporum lilia, Ceruus
Nota tibi trino lumine Solis erunt.

XXXIV.

HERCVLES REX SAPIENS AC philoſophus.

Principio noſter Natus procedit ab vno,
Spargitur in plures ſed tamen ille modos.
Ipſius rami finem ſoluuntur in vnum.
Sic redit ex illo quod fuit ante chaos.

XXXV.

EVTHICES PHILOSOPHVS.

Ablutum Corpus Salibus produximus album.
Accenſum noſtrum tum quoque lumen erat.
Id per Borracem Corpus poſt fiximus album.
Aurea Saturni munera dextra dedit.

XXXVI.

ADARMATH PHILOSOPHVS.

Vt pariat plures noſtra Leo in Arte Leones
Facvt ad Aſtra volet, rurſus & imapetat.
Principio finis ſic coniungetur, & ipſum
Principium fini qua decet Arte ſuo.

Lapis



MAHOMET PHI, losophus.

HERCVLES REX sapiens ac Philosophus.

EVTHICES PHI, losophus.

ADARMATH Philosophus.

Lapis in hoc Opere necessarius, de re est animata.

Magisterium ex vna radice procedit, in plures expanditur, in vnum reuertitur.

Nigrediné abstulimus cum Sale Anathron & Almizadir, Albedinem fiximus Borretza.

Huius rei principium super suum finem, & suus finis super suum Principium.

XXXVII.

ARSIANVS PHILOSOPHVS.

Insula ab æquoreis consurgens prominet vndis
Qua Leo terribili cæsus ab Ense cadit.
Confluite huc Volucres, vobis hic potus & esca.
Esca caro, at potus lucida lympha satis.

XXXVIII.

DATIN PHILOSOPHVS ET Chymicus.

Auroram roseo ni Sol producat ab Ortu,
Perpetuis tenebris omnia vincta forent.
Sic rubeus Laton ni conuertatur in album,
Tum rubor illius prorsus inanis erit.

XXXIX.

AZINABAM PHILOSOPHVS.

Bos Apis Ægypti tulit olim materiei
Symbola, cum celebres Isis, Osyris, erant.
At tu sume caprum Luna vel Apolline plenum.
Auxilio illius læta brabæa feres.

XL.

ELBO INTERFECTOR PHILOsophus.

Quotquot ad hanc Artem cursu properatis anhelo,
Curate vt Laton candida membra gerat.
Sufficit hic vobis. Modo cuncta volumina vestra
Rumpite, ne rumpat pectora vestra dolor.

Nostra



ARSIANVS PHI-loſophus.



DATIN PHILO-ſophus et Chymicus.



AZINABAM Philoſophus.



ELBO INTERFE-ctor Philoſophus.

Noſtra Aqua noſtram Terram habet ſuperantem, quæ eſt magna lucida & pura.

Noſter Lato rubeus inutilis eſt, in album conuerſus multum valet.

Materia Philoſophica naturaliter vocatur Vulphi, hoc eſt Animal.

Dealbate Latonem & Libros rumpite, ne corda veſtra corrumpantur.

XLI.

ADEMARVS PHILOSOPHVS.

Qui Lapidem quærit fundendo Metalla per Ignem,
Inueniet Vitri nil nisi frustra leuis.
Sic queiscunque modis Cyllenia membra repurges,
Nil nisi vitrifico puluere plenus erit.

XLII.

BELINVS PHILOSOPHVS.

Sol Genitor noster, cui tota Potentia Mundi
Tradita, iam curru fertur in æthre suo.
Illum tres volucres Cælo terræque remiscent.
Qui sunt hi? Sal cum Sulphure Mercurius.

XLIII.

PLATO CHYMICVS.

Semina terrestri ni corrumpantur in aluo,
Nec fructus tibi nec germina grata ferent.
Oua que ni primo putrescant, pullus ad auras
Non surget, tali nosce Metalla modo.

XLIV.

IESID CONSTANTINOPO-litanus.

Terram Mercurij qua surgit plantula nostri
Non tetigit radiis ignea flamma suis.
Huic tamen indiderant proprias vaga sydera vires,
Inprimis radios Cynthia solque suos.

Quamuis



ADEMARVS Philosophus.



BELINVS PHI-losophus.



PLATO CHYMI-cus.



IESID CONSTAN-tinopolitanus.

Quamuis mundatus, ſublimatus, extractus, fixatus, tamen non funditur nec permiſcetur ſed vitrificatur.

Pater meus Sol habet omnem potentiam, quam totus quærit Mundus.

Ouum primo putreſcit ſecũdo gignitur pullus, poſt corruptum fit Animal.

Lapis noſter eſt res quam Ignis non tetigit, à qua noſter Mercurius ſurgit.

XLV.

ALBVGAZAL PRÆCEPTOR Platonis Philosophus.

Ecce vorax nostri Saturnus Apollinis artus
Corripit, & rabido ceu Lupus ore vorat.
Non tamen illius Naturam destruit omnem.
Nam multo post hac clarior inde redit.

XLVI.

HELISARDES PHILOSOPHVS.

Nostra Magisterij via devia non erit vlli,
Nomina cui Lapidis nota colorque patet.
Nomina sunt Azoth color est niger albus & ardens
Hos tu dum cernes error abibit iners.

XLVII.

GALVD REX BABILONIÆ.

Putris Apollineos Saturnus inebriet artus,
Fiat vt ex illis quod fuit ante chaos.
Quatuor hinc redeant propriis Elementa figuris,
Claudetur fini tum rota tota suo.

XLVIII.

SENECA PHILOSOPHVS.

Purius egreditur perfectum Corpus ab Igne,
Virtutisque suæ commoda multa refert.
Ast imperfectum tenues vanescit in auras,
Quamprimum flammas senserit Igniuomas.

De-



ALBVGAZAL PRÆCEPtor Platonis Philosophi



HELISARDES Philosophus.



GALVD REX DE Babylonia.



SENECA PHIlosophus.

Destruit me non tamen Naturam meam qui est Saturnus.

In Magisterij via non deuiabit, qui Nomina & Colores obseruabit.

Primo Regimen Saturni est putrefacere & imponere Solem. Secundò Compositio fit ex quatuor Noctibus.

Ignis addit perfecto commodum, & corrupto incommodum.

XLIX.

ALBERTVS MAGNVS EPISCOpus & Chymicus.

Sum Draco, quod genero, non nostra Scientia præstat
Sint licet ingremio cuncta metalla meo.
Scilicet est in me supremi gratia Iouæ,
Isthæc quæ per me singula sola facit.

L.

BERNHARDVS COMES TREuisanus.

Sperma metalliferum, tibi quod noua germina mõstret,
Natura maris est fœmineæque simul.
Huic si tu imponas stellati membra Leonis,
Illa triceps anguis ritè soluta dabit.

LI.

ARNOLDVS DE VILLA NOVA Chymicus.

Montibus in nostris coniungitur ignis & Vnda
Exurgit blandis hinc rosa pulchra comis.
Hac poteris varios è corpore pellere morbos,
Nam Cæli radios flosculus ille tenet.

LII.

PETRVS DE VILLA NOVA ARnoldi Frater.

Quæris opes Mundi varias, certasque medelas
Illud vtrumque iuuans hæc Medicina tenet.
Hanc igitur primo post dogmata sacra requiras
Adspicies Iouæ quam sit amica manus.

Non



ALBERTVS MAGN9 Epiſcopus et Chijm: | BERNHARDVS Co, mes Treuiſanus.



ARNOLDVS DE VILla noua Chijmicus. | PETRVS DE VILLA noua Arnoldi frater.

Non ex mea Scientia ſed ex Spiritus Sacroſancti gratia,

Solutio permanens ex Maſculino & Fœminino ſermine nouam generat ſpeciem.

Si ægritudo fuerit vnius menſis, ſanatur vna die, ſi vnius Anni in duodecim diebus.

Hæc Medicina ſuper omnes alias Medicinas & Mundi diuitias in Oppido perquirenda.

LIII.

BASILIVS VALENTINVS MOnachus.

Tincturæ Pater est Phœbus sed Cynthia Mater,
Fons tamen illius non nisi Mercurius.
Hunc cautè quæras iungendo Corda duorum
Proferet illorum quod modo quæris Amor.

LIV.

ALANVS DE INDIS PHILOsophus.

Qui duo, qui septem, qui quodvis scibile nouit,
Ille Chymistarum pondera nota tenet.
Huic Draco cui geminum caput est faciliarte patebit,
Virque ferens fructus Cynthia Solque tuos.

LV.

VINCENTIVS MONACHVS Bellouacensis.

Non lapis atque lapis Lapis est cui nomen Elyxir,
Miraris quod sit non lapis atque lapis?
Non lapis est quoniam liquefit nec perditur Igne,
At lapis est tundi quod queat atque teri.

LVI.

IOANNES DE PADVA PHIlosophus.

Sunt variæ Vndarum vires miraque per Orbem,
Quas humus è proprio trudit ad alta sinu.
His tamen est cunctis multo præstantior illa,
Corpus vbi tenerum nostra Diana lauat.

Aurum



BASILIVS VALEN„ tinus Mona:

ALANVS DE IN„ lis, Philosophus.



VINCENTIVS MO„ nachus, Bellovacensis.

IOHANNES DE Padua, Philosophus.

Aurũ Pater est Tincturę, Mater Argentũ viuũ, Auus est Mercurius, Auia est Aqua Mercurialis.

Qui duo, qui septem omne qui scibile nouit. Duo & septem pondera Chymica.

Elixir dicitur lapis quia teritur, non lapis quia funditur, currit in Igne absque Euaporatione sicut Aurum.

Aquarũ Virtutes sunt mirabiles & innumerabiles: Nulla mirabilior est Aqua Balnei huius.

LVII.
IODOCVS GREVERVS CHYmicus.

Mercurius Soli comes it ceu fidus Achates.
Cynthia splendorem non nisi Solis habet.
Mercurius noster si Marti Cyprida iungat,
Consperget radiis Phœbus vtrumque suis.

LVIII.
AVTHOR ROSARII MAGNI Philosophorum.

Vnus Apollineum noster Leo currit ad Ortum,
Alter ad Hesperios tendit abitque lacus.
Hisce locis ambos reuocando iunge Leones,
Tum Lunæ & Solis lætus habebis opes.

LIX.
ISAAC ET ARNOLDVS PHIlosoph.

Larga satis gratis supremi dextra Tonantis
Philosophis lapides donat in Orbe duos.
Candidus est primus, gerit & tria colla, sed alter
Splendidior rubei membra Leonis habet.

LX.
PHILIPPVS THEOPHRASTVS Paracelsus.

Vt medicamen ages, tua sic tingentur in aurum
Corpora: quæ sparges semina falce metes.
Phœnicem quæras Pelicani sanguine cretum
Hunc (mihi si credis) proferet albus Olor.

Sol



IODOCVS GRE-verus Chymicus.



AVTHOR ROSA-rij magni Philosophorum



ISAAC ET ARNOL-dus Philosophus.



PHILIPPVS THEO-phrastus Paracelsus.

Sol semper sibi adiungit Comitem Mercu-rium. A Sole Luna splendorem tenet.

Vnus decurrit ad Orientem; alter properat ad Occidentem.

DEVS dedit duos lapides; primum album se-cundum rubeum, gratis absque pretio.

Qualis est Medicina tale & fit Aurum.

LXI.

AVTHOR DIALOGI GERM: INter ☉ & Lapidem.

Eſt lapis ex Auro plenus flagrante veneno,
Auri Mercurius quod tibi noſſe dabit.
Vt tamen ex illo fiat Medicina ſalubris,
Arte tua corpus diuite Apollineum.

LXII.

AVTHOR RHYTMORVM PHIloſophicorum.

Qui quæris lapidem, Terræ interiora requiras,
Inuenies illic quæ Medicina latet
Multorum Capitum cognoſces inde Draconem,
Percipies noſtra quis ſit in Arte Leo.

LXIII.

ISAAC HOLLANDVS PATER.

Materies Lapidis res eſt quæ Sulphure conſtat
Fulgureo noſtro, Mercurioque ſimul.
Hanc cupis? excelſos properanter ſcandito montes,
Quid Leo, perquirens, liliaque alba notent.

LXIV.

ISAAC HOLLANDVS FILIVS.

Innumeros inter tribulos ſpinaſque feroces
Conduntur flores ſplendide Phœbe tui.
Dum redeunt grata proiecta Cadauera vitæ,
Illis floridior Vita manere ſolet.

Lapis



AVTHOR DIALOgi Germ: inter ☉ et lapidē.



AVTHOR RYTHMOrum Philosophicarum.



ISAAC HOLANdus Pater.



ISAAC HOLANDus Filius.

Lapis ab Auro venenosus Vermis est Mercurius vulgi ab Auro pro teste adducitur.

Visitabis inferiora Terræ.

Illa est materia, quæ habet in se argentum viuum & fulgur,

Hi sunt flores qui inter tot carduos & tribulos absconduntur.

LXV.

IOHANNES PONTANVS PHIlosophus.

Ardet, at haud flammas tenues eructat in auras
Ignis hic, est magna non sine luce tamen.
Hunc facile inuenies, si te DEVS ipse iuuabit:
Sin minùs, occultus tum tibi prorsus erit.

LXVI.

NICOLAVS FLAMELLVS Gallus.

Qui bene laudatam potuit traducere Vitam,
In senio casu non cadet ille malo.
At si membra Senis lacerentur ab Ore Leonis,
Posthuma promeritum fama rependet opus.

LXVII.

GVILIELMVS PARISIENSIS Philosophus.

Abdita qui quærit Lapidis mysteria nostri,
Philosophus verus sit tamen absque dolo.
Ignarus teneros cupiet si carpere fructus,
Frondibus auulsis protinus inde cadet.

LXVIII.

IOHANNES MEHVNI PHIlosophus.

Ardua diuinæ qui vult miracula dextræ
Scrutari, haud propriis viribus illud agat.
Est etenim æthereum numen quod cuncta gubernat
Id petat, id veram pandet ad alta viam.

Hic



IOHANNES PON- tanus Philoſophus.	NICOLAVS FLA- mellus Gallus.



GVILIELMVS PARI- ſienſis Philoſophus.	IOHANNES MEHV- ni Philoſophus.

Hic Ignis eſt abſque flamma, at non ſine luce, inuentu difficilis.

Qui benè vixit, malè mori nullo modo poteſt.

Hæc ſcientia requirit verum Philoſophum non fatuum.

Non eſt ſolius Hominis induſtria, ſed in Dei manu poſſe ac velle omnia in omnibus.

LXIX.
DIONYSIVS ZACHARIAS philoſophus.

Hanc Artem magnam diuina potentia ſeruat,
Ne pateat populo forſan in Orbe malo.
Ergo ſi inuito properas huc numine Diuum
Accipe quod proprium eſt ſuauis Amice, & abi.

LXX.
IOHANNES FERNELIVS Ambienſis.

Antra caduca ſoli pecudum ne more pererres,
Lumen ad æterni verte theatra poli.
Hoc Sapientis opus. Sic Vita lætus in hacce
Percipies guſtum numinis ætherei.

LXXI.
CHRISTOPHORVS PARISIENſis Chymicus.

Hic cum Fratre Soror cumulo tumulata recumbit.
Hic quoque Mas propriæ Coniugis oſſa fouet.
Hic etiam blanda Natus cum Matre quieſcit,
Inde reſurgendi poſtea tempus erit.

LXXII.
GVIDO DE MONTANOR PHIloſophus.

Quatuor vt proprio iunges Elementa rotatu,
Quadrupla vis Lapidis Spiritualis erit.
Quatuor at numero poteris comprendere trino,
Si modo principij nomina trina notes.

Ars



Ars in DEI potentia reſeruata, Laicis eſt inimica.

Animo ſublato atque oculis altiora æternorum inueſtigare Sapientum eſt.

Hic eſt Frater, illa Soror, hic maritus, illa vxor. Hic eſt filius, illa Mater.

Vltima Coniunctio eſt quatuor Elementorum. Hæc dicitur Philoſophia quadrupla ac Spiritualis.

LXXIII.

PHILIPPVS DE RAVILASCO Philoſophus.

Quod putreſit Corpus, vegetatum tempore certò,
Clarius ad vitam ſplendidiuſque redit.
Vt ſurgant cupiunt ſic Corpora cuncta reſolui,
Accipiunt vitam nam reſoluta nouam.

LXXIV.

GRATIANVS PHILOSOPHVS Chymicus.

Vulcani auxilio cineres de corpore quouis
Efficies: hinc Sal, quod tibi fundet Aquam.
Aſt Aqua Mercurium pariet Cyllenius Aurum.
In mare ſic noſtri fluminis Vnda fluet.

LXXV.

STEPHANVS PHILOSOPHVS Chymicus.

Quodque ſuo ſimili generatur plantula planta
Ex Animali Animal ſic Homine ipſus homo.
Sic etiam ſimili mineralia germine gaudent,
Inde metallorum ſtirpe metalla virent.

LXXVI.

DANIEL IN RETRACTATIOnibus Philoſophus.

Quo magis æs noſtrum coquitur, tanto magis atrum
Redditur, atque in Aquam vertitur aëream.
Sic tres Cornices poſt certam temporis horam
Ornantur pennis blanda Columba tuis.

Per



PHILIPPVS DE RAvilasco. Philosophus.



GRATIANVS PHIlosophꝰ Chymicus:



STEPHANVS PHIlosophus Chymicus.



DANIEL IN RETRActationibꝰ Philosophꝰ.

Per putrefactionem moritur corporale, per vegetationem nouam surgit Spirituale.

De omni re potest fieri cinis, ex cinere Sal, ex Sale Aqua, ex Aqua Mercurius, ex Mercurio Aurum.

Ex Homine non exit nisi homo, & ex Animali nascitur simile.

Æs quanto magis coquitur, tanto magis denigratur, & fit Aqua Spiritualis.

LXXVII.

RAYMVNDVS MASSILIENSIS Philoſophus.

Occulit occultum Diuum prudentia Semen.
Viſcera nam Terræ multa profunda tenent.
Ergo animo prompto Terra mineralia luſtra,
Inuenies vitro ſplendida dona tuo.

LXXVIII.

IOHANNES AVSTRI PHILOſophus.

Quicquid in immenſo generatum cernitur Orbe,
Quatuor inprimis hoc Elementa tenet.
Vranie hinc, tandem Iuno, Proſerpina, Doris
Reginæ magni quatuor Orbis erunt.

LXXIX.

VALERANDVS DE BOSCO PHIloſophus.

Quo magis Igne coques Venerem, magis illa rubeſcet,
Et tinget rubeo cuncta colore ſuo.
Hinc quas quæris aues, triplici duplicata rotatu
Arbore conſpectas hæc tibi Stella dabit.

LXXX.

IOHANNES DE SACRO BOSCO Philoſophus.

Quo mage cocta Venus fuerit, tanto mage ſpiſſa
Fiet, & inceptum ceu niue tinget opus.
Cognoſces igitur Serpentes atque Leones,
Inde coronati quis ſit Oloris honor.



RAYMVNDVS MAS-ſilienſis. Philoſophus.



IOHANNES AV-ſtri Philoſophus.



VALERANDVS DE Boſco. Philoſophus.



IOHANNES DE SA-cro Boſco Philoſophus.

Res in Natura profundas ſcimus ſubtus Terram, & in minerali non in alio quærendam.

Omnis compoſitio & generatio fit ex quatuor Elementis ſimplicibus.

Æs quanto magis coquitur tanto magis rubificatur, & fit tinctura rubedinis.

Æs quanto magis coquitur, tanto magis inſpiſſatur & fit Tinctura Albedinis.

LXXXI.

THOMAS AQVINAS ITALVS Chymicus.

Sulphur Mercurio iunctum producere nouit
Naturæ certo cuncta metalla gradu.
Tu si Naturæ cursum Chymica Arte sequaris
Quod parit illa etiam progenerare potes.

LXXXII.

PETRVS BONVS FERRA-riensis.

Principium motus, cunctarum Operatio rerum
Est Anima, absque illa crescit in Orbe nihil.
Quod iubet illa tamen tanquam Domina omnibus horis
Exequitur prompto Corpus id Officio.

LXXXIII.

MARCELLVS PALINGENIVS Philosophus.

Arcadium puerum celerem nimiumque fugacem
Prendite & in stygiis mox quoque mergite aquis.
Tunc sepelite vtero calido & dissoluite putrem,
Instar Phœnicis Spiritus eius erit.

LXXXIV.

IOHANNES DE RVPESCISSA Philosophus.

Flebilis omnigenas Paupertas excitat Artes
Atque diu quondam quæ latuere docet.
Dicitur Ingenij Venter largitor acuti.
Nam studij varias cogit inire vias.

Ex



Ex Sulphure & Mercurio vt Natura ſic Ars producit metalla.

Ab Anima fit initium & prima motio, imo totum quod fit, à Corpore fit executio.

Prendite & immerſum ſtygiis occidite lymphis.

Paupertas omnes edocet Artes, & Venter Ingenij largitor eſt.

LXXXV.

PETRVS DE ZALENTO PHILOſophus Chymicus.

Tu ſine fermento nihil occeptare memento:
Vt duo coniungas, hoc quoque iunge ſimul.
Siue opus incipies, ſeu continuabis, id ipſum
Adiice, perficies auxiliante DEO.

LXXXVI.

IOHANNES AVRELIVS AVgurellus.

Æquoreis memet quicunque reducet ab Vndis,
Cautus & in ſicco littore conſtituet:
Hunc ego diuitiis gratus donabo Paternis,
Atque auibus poſthac condecorabo meis.

LXXXVII.

AVGVSTINVS PANTHEVS VEnetus Sacerdos.

Sol Pater eſt primus, prudens, Operator at alter,
Vulcanus numero tertius eſſe poteſt.
Primus eum generat, vera alter at Arte gubernat,
Tertius educat. Tres habet ergo Patres.

LXXXVIII.

ALOYSIVS MARLIANVS Philoſophus.

Sulphur & Argentum viuum tibi proferet Aurum
In flamma ſpatio temporis exiguo.
Ne tamen ignarum Vulgus, ſed dicta Sophorum
Mente vide, Hermogenes ſic tibi notus erit.

Fer-



PETRVS DE ZAlento Philos: Chymicꝰ.



IOHANNES AVRElius Augurellus.



AVGVSTINVS PANtheus Venetus Sacerdos.



ALOYSIVS MARlianus Philosophꝰ.

Fermentum est medium coniungẽs. Si principio ponitur, vel medio Opus perficitur.

Qui me liberabit ex Aqua, & in siccum reducet, hunc ego beneficus beabo.

Hic est tripater à Sole creatus, ab Artifice gubernatus, & à Vulcano educatus.

Aurum fit ex Sulphure & Argento viuo, breui temporis spatio in Igne.

LXXXIX.

IANVS LACINIVS PHILOSOPHUS.

Si reliquas Artes Chymicæ aßimilaueris Arti,
Sunt velut Ancillæ, quas Hera vt illa regit.
Et merito: Nam post diuini dogmata verbi,
Hoc studio nullum maius in Orbe datur.

XC.

IOHANNES CHRYSIPPVS Fanianus.

In latebris Terræ vis occultatur Olympi,
Philosophi hinc mineram composuere suam.
Hanc cape, post blandam Vulcani construe turrim
Atque calorifico ceu decet Igne rege.

XCI.

EFFERARIVS MONACHVS PHILOSOPHUS Chymicus.

Nos imperfectum volumus mutare metallum,
Perfecti vt cunctas det teneatque probas.
Non curamus enim nostra quid tentet in Arte
Turba Sophistarum. Vera metalla damus.

XCII.

GILBERTVS CARDINALIS PHILOSOPHUS.

Destruere oblatos qui nescit Apollinis artus,
Illos non etiam construere ille potest.
Qui tamen inueniet lucum fontemque Dianæ,
Ne canibus, caueat, præda sit ipse suis.

Artium



IANVS LACINIVS Philosophus. | IOANNES CHRY„sippus, Fanianus.

EFFERARIVS MOnachus Philos: Chymi: | GILBERTVS CARdinalis Philosophus.

Artium Scientiæ ad Chymiam collatæ, sunt veluti ancillæ ad Dominam.

Occulta virtutis Cælestis operatio, est Philosophorum Sapientum minera.

Alchymistarum scopus est metalla imperfecta transmutare, iuxta veritatem non sophisticè.

Qui Auri destructionem ignorat, constructionem eius ex cursu Naturæ ignorare debet.

XCIII.

IOHANNES THEOBANVS PHI-losophus.

Fuscus in Arte color Terram, sed discolor Vndam,
Aera transparens at ruber æthra notat.
Hinc Coruos Aquilamque leuem roseamque columbam
Sanguine condecoras ô Pelicane tuo.

XCIV.

LVDOVICVS LAZARELLVS PHI-losophus.

Naturæ auxilio quod nos produximus olim,
Vidimus & proprio lumine, Elixir id est.
Ergo coronatur Iouis ales Apolline plena,
Nec metuit vires improba flamma tuas.

XCV.

IOHANNES DE AQVINO PHI-losophus.

Non tam difficile est fuluum generare metallum,
Quam genitum ignaris destruere hocce viris.
Est Draco flammiuomus, robur qui negligit ignis,
Nec timet hinc membris vlla pericla suis.

XCVI.

RAYMVNDVS LVLLIVS PHI-losophus.

Infantis tenerum Corpus generatur ad auras
A mare cui fuerit fæmina iuncta toro.
Tandem prudenter materno est lacte cibandum,
Vt citius nostro crescere in Orbe queat.



IOHANNES THEO-banus Philosoph9. | LVDOVICVS LA-zarellus Philosophus.



IOHANNES DE A-quino Philosoph9. | RAYMVNDVS LVL-lius Philosophus.

Ex rubedine respexi formam Ignis, ex diaphaneitate formam Aeris, ex luciditate formam Aquæ.

Quod vidimus & fecimus natura cooperante perfectum est Elixir.

Facilius est Aurum purissimum constituere, quam Aurum destruere.

Corpus Infantis ex masculo & fæmina procedit in actum.

XCVII.

ÆGIDIVS MAGISTER HOSPITA-lis Hierosolymitani.

Infans progenitus nutritur fomite vili,
Non secus ac fœtum menstrua mater alit.
Ipse rapit quoniam quæcunque sibi apta videntur,
Ceu rapiunt celeres putre cadauer aues.

XCVIII.

AVTHOR ROSARII ABBRE-uiati.

Bis duo principia hic sunt quatuor atque colores,
Quatuor & flammæ sed medium inde triplex.
Hoc triplex medium postquàm cognoueris aptè,
Tum facilè ex illo cætera nosse potes.

XCIX.

HVGO APOSTOLICVS PHILO-sophus.

Mortalem amoueas radiis Solaribus vmbram
Ille magisterij sit tibi summus apex.
Hinc morietur auis, rursusque resurget ad auras,
Seque sciet vita multiplicare sua.

C.

PETRVS MONACHVS PHILO-sophus.

Hic radius Cœli Terræ occultatur in antris,
Hunc tamen extingui non madida vnda potest.
Quærere vis illum: totum orbem mente voluta
Non secus ac Atlas: Forsitan inuenies.

Vilissimo



Vilissimo nutritur fomite, veluti fætus in Vtero menstruo.

Quatuor sunt Principia, quatuor sunt colores, quatuor sunt Ignes, tria sunt media.

Hic Magisterij apex, vt à radio remoueatur mortalis vmbra.

Radius hic Igniculus in terra habitat, & non extinguitur aqua, quia cælestis est.

CI.

PRIOR ALEXANDRIÆ PHILOsophus Chymicus.

E radiis Solis nitidus deducitur Ignis;
Igni Elementorum dixeris esse parem,
Hic tibi cuncta dabit, tua mens quæcunque requirit,
Fortiter instabiles & retinebit aues.

CII.

GARSIA CARDINALIS PHILOsophus,

Anni forma mei Cælo ceu flamma Promethei
Fertur ad optati blanda theatra soli.
Lætantur tanto mortales munere diuum,
Quando vident tantum Regis ab æthre bonum.

CIII.

DVRANDVS MONACHVS PHIlosophus.

Alba Senis primo iuuenescant membra Parentis
Et rubeo posthac cincta colore micent.
Sanguineusque puer postremo surgat ad auras,
Signaque det Vitæ splendidiora nouæ.

CIV.

ANDROICVS EPISCOPVS PHIlosophus.

Ecce necant nostrum diuersa Animalia Regem.
Quo ruis his ausis improba turba tuis?
Qui iacet ad vitam rursus de morte resurget,
Tuque feres sceleris præmia digna tui.

Ignis



PRIOR ALEXANDRIÆ Philosoph. Chymic.

GARSIA CARDINALIS Philosophus.

DVRANDVS MONACHUS Philosophus.

ANDROICVS EPISCOPUS Philosophus.

Ignis ex radiis Solaribus deductus, idem cum Elementari.

Anni forma descendit ex astris, tanquam Promethei ferula ad mortales.

Lapis primo senex albus, postea iuuenis rubeus, & puer sanguineus.

Hæc est flamma, illud Oleum, hic Equus, ille pullus, hic canis, ille lepus.

CV.

DOMINICVS EPISCOPVS DE Ponderibus.

Fac capiat Vitam sublatus ad æthera Phœbus,
Inde Sali mixtus ritè putrescat humo.
Hinc rosa pulchra simul candentia lilia surgent,
Cumque suo occultus Sulphure Mercurius.

CVI.

DOMINICVS APOSTOLICVS Chymicus.

Sunt duo quæ tria sunt, sed sunt tria quæ duo tantum:
Cuncta sed hæc vno nomine nosse potes.
Quod ferat ingressum, simul indurare metalla
Quod queat, arte tua iunge beatus eris.

CVII.

HORTVLANVS PHILOSOPHVS Chymicus.

Solus qui lapidem nouit producere nostrum,
Percipit occulti mystica verba chori.
Hinc Elementorum miro varioque rotatu
Hermogenis cupidas cernit & ambit opes.

CVIII.

RICHARDVS ANGLICVS PHILOSOPHUS.

Ignarus ne sis studiis animum excole nostris,
Ingenium vires exeret inde suas.
Sis prudens, falsis ne seducare libellis,
Simplex, naturæ quo gradiare viis.

Aurum



DOMINICVS EPIS-
copus de ponderibꝰ.



DOMINICVS APOS-
tolicus Chijmicus.



HORTVLANVS PHI-
losophus Chijmicus.



RICHARDVS ANG-
licus Philosophus.

Aurum per Sublimationem fac viuum; infunde in Sal, mitte in ſterquilinio in olla forti.

Duæ ſunt res, vna ad incerandum; altera ad indurandum.

Solus ille qui ſcit facere lapidem Philoſophorum, intelligit verba eorum de lapide.

Scientiæ Studium amouet ignorantiam, & reducit intellectum ad veram cognitionem.

CIX.

IOHANNES DASTINVS ANGLVS.

Quod DEVS instituit, Natura id protinus omne
Exequitur; sed quod non iubet ille, negat.
Et Soli & Lunæ Deus ac Natura meatus
Disposuit certos, te decet hosce sequi.

CX.

ROGERIVS BACON ANGLVS Philosophus.

Fac fera membra feri reddantur blanda Draconis,
Æqualique suo stent Elementa gradu.
Sceptra coronatus tunc proferet omnibus inde
Hermogenes, operis meta erit illa tui.

CXI.

THOMAS NORTONVS ANGLVS Philosophus.

Materies nostri Lapidis res vilis habetur,
Vt terra inuentam tollere nemo velit.
Huic tamen imposuit supremi dextra Tonantis,
In propriis latebris quicquid hic Orbis habet.

CXII.

GEORGIVS RIPLÆVS PHILOsophus.

Tres sunt Mercurij, quos si cognoscere mens est,
Lunæ vnum & Solis lumine cerne Patrem.
Tres sunt diuersi nostra quoque in Arte colores,
Vnicus hos omnes fons tibi nosse dabit.

Quod



IOHANNES DASTI-
nus Anglus.



ROCHERIVS BA-
con Anglus. Philos:



THOMAS NORTO-
nus Anglus. Philos:



GEORGIVS RIP-
leus Philosoph9.

Quod Deo placet illud omne natura gratanter accipit.

Elementorum fac adæquationem, & habebis magisterium.

Materia nostra res vilis pretij, nullius valoris, quicunque inuenit vix attollit.

Tres sunt Mercurij, duo superficiales, tertius Essentialis, Solis ac Lunæ.

CXIII.

ABBAS WESTMONASTERIENsis Philoſophus.

Perſpicuus Lapis eſt, ſi quis ſpectauerit illum,
Atque refert radiis Sidera clara ſuis.
At velut in ſpeculo, ſeſe ſpeculatur in illo,
Veſtibus & nitidis Nympha ſuperba comis.

CXIV.

EDOARDVS KELLÆVS PHILOſophus dubius.

Purpurea eſt primum, rubro permixta colore
Materies, cupidum quæ tibi præſtet opus.
Hæc dum Pauonis pennas albamque Columbam
Proferet, inceptum continuato tuum.

CXV.

IOHANNES DVNS SCOTVS Philoſophus.

Noſtra lythargyrij fucato nomine gaudet
Materies, iuſto rite parata modo.
Mercurius volitans clauſo eſt figendus in Ouo
Ne veluti volucris rurſus ad alta volet.

CXVI.

MICHAEL SCOTVS PHILOſophus.

Præ manibus nobis bona quæ DEVS ipſe locauit,
Illa fugat ſcelerum perdicioſa cohors.
Tu ſine mandato noſtros ne tangito fructus
Nam tranſgreſſores pœna parata manet.



ABBAS WESTMONA-ſterienſis Philoſophus. | EDVARDVS KELLÆ, Philoſophus Dubius.



IOHANNES DVNS-ſcotus ac Philoſophus. | MICHAEL SCOTUS, Philoſophus.

Lapis in viſione lapis perſpicuus, perlucens, & miræ ac ſtellatæ diaphaneitatis.

Materia prima eſt purpurea, rubra aliquantulum, deinde vocatur noſtra marcaſita.

Noſtra materia ſeparata & præparata vocatur Philoſophicum lythargirium.

Res præ manibus exiſtens amittitur propter peccata hominum impiorum.

CXVII.

SCOTVS PHILOSOPHVS Doctissimus.

Ecce magisterij tanta est præstantia nostri,
Si semel id facias, hoc tibi sufficiet.
Non iterabis opus: quia Rex ditissimus ille
Seruat inexhaustas quas tibi tradet opes.

CXVIII.

ÆGIDIVS DE VADIS PHILOsophus.

Non lapis apparet, quamuis Lapis ille vocetur,
Visus id & tactus dicere namque vetat.
Terra sed est rubei sat, purpureique coloris,
Quam capiunt claustris cuncta metalla suis.

CXIX.

MELCHIOR CIBINENSIS VNGArus Philosophus.

Hic lapis vt paruus (magnorum Cura Sophorum)
Infans virgineo lacte cibandus erit.
Hinc sumet vires, tandemque ætate fauente
Auspiciis tantis regia sceptra geret.

CXX.

BAVRAN PHILOSOPHVS Egregius.

Filius en noster tanquam Rex splendidus ortu
Tincta sua è flammis membra decusque refert.
Gaudete ô cuncti qui nuper morte cadentem
Spectastis, nullam iam timet ille necem.



SCOTVS PHILOSO, phus Doctissimus.



ÆGIDIVS DE VA, dis Philosophus.



MELCHIOR CIBI, nensis Vngarus Philos:



BAVRAN PHILOSO, phus Egregius.

In Opere hæc ratio occurrit, vt si ſemel benè facias, non opus habeas reiterare.

Non eſt lapis in tactu & viſu, verum terra ſubtilis purpurea rubea & non perſpicua.

Philoſophicus Philoſophorum lapis vt Infans lacte nutriendus eſt Virginali.

Filius noſter genitus, Rex glorioſus ſumit tincturam Philoſophicam ab Igne.

CXXI.

FRATER ALBERTVS BAYER Monachus Philoſophus.

Luſerat vt fortis blanda cum Cypride Mauors,
Clauſerat hos vinclis Lemnius ecce ſuis.
Illorum nitido decoratus munere noſter
Mercurius, Phœbo par erat æthereo.

CXXII.

RHODIANVS PHILOSOPHVS Excellens.

Quamprimum in Terra mortalia membra recondam,
Naſcetur tumuli filius inde mei.
Immortalis erit, noſtro quia ſanguine paſtus,
Exeret & regni ſplendida Sceptra ſui.

CXXIII.

ARDA DISCIPVLVS ARISTOTE-lis Philoſophus.

Sæpius optato granum conſpergitur Imbre
Vt citius vegeto ſurgat ad alta gradu.
Poſſit vt excludi pullus nutritur in ouo.
Tu tali quæuis paſce metalla modo.

CXXIV.

ALEXANDRI EPISTOLÆ dictum.

Qui fugit ætherei blandum Draco lumen Olympi,
Ecce fugat tenebras mortiferamque necem.
Vtque Oleo & vino ſanantur vulnera prompte;
Læſa metalla ſua ſic Lapis Arte iuuat.

AVe-



FRATER ALBERTVS Baijer Monacho. Phil: | RHODIANVS PHI-losophꝰ Excellens. | ARDA DISCIPVLVS Aristotelis. Philos: | ALEXANDRI EPIS-tolæ Dictum.

A Venere donatus regilla, rediuiuus apparet quæ ornamentum rubeum significat.

Mors consumpta est, ac Filius noster iam regnat, nostro argento & carne indutus.

Granum nutritur humore suo connaturali, donec vegetetur atque animetur.

Illum mors mare ac tenebræ fugiunt, & Solis radios Draco fugit.

CXXV.

RACHAIDIBI PHILOSOPHVS Chymicus.

Nutritur minimis quodvis augetur & illis,
Nutritur paruo sic puer ille cibo.
Dum tamen exurget, clarescet lumine bino,
Sumet & Imperij splendida sceptra sui.

CXXVI.

ARISTOTELES ALCHYMIÆ Philosophus.

Principium nostri Vita est atque esca laboris,
Vt grata Infantis membra iuuentur ope.
Nec satis id tamen est vitam tantum dare proli,
Hanc opibus decora Mater amanda tuis.

CXXVII.

SERAPIO PHILOSOPHVS DILIgentissimus.

Tempus adest tumulis manes reuocare sepultos
Ægraque iam mediis membra leuare nouis.
Ergo mari nostro Phœbo splendente Dracones
Certantes Cœli rursus ad astra volent.

CXXVIII.

LIBER SATVRNI PHILOSOphorum.

More Columbarum iunguntur amore Parentes,
Illis optatus surgat vt inde torus.
Infans materna vitam dum sumit in aluo,
Desinit id post hac esse quod ante fuit.

Omne



RACHAIDIBI PHIlosoph9 Chijmicus.



ARISTOTELES ALchijmiæ Philosoph9.



SERAPIO PHILOSOphus diligentissim9.



LIBER SATVRNI Philosophorum.

Omne, quod nutritur, ratione diminuti nutritur, quod viuificatur ratione duorum viuificatur.

Viuificatio & nutritio Philosophorum est ingressus Operis Philosophici ac sapientis.

Nunc tempus est mortuum viuificari, & quod ægrotum curari,

Tam diu viuificatur, donec mortuum sit, à forma metallica, quæ lapidis leprosa vmbra.

CXXIX.

DVMBELEIVS PHILOSOPHVS Chymicus.

Noſter Apollo Aquila generatus in Orbe Draconis
In ſeſe vt centro cuncta metalla tenet.
Vt poßint fundi præſtat dum iungitur illis,
Illorum numero non tamen ipſe venit.

CXXX.

BERNHARDVS DE GRAVIA Philoſophaſter.

Filius ad Vitam noſter iam à morte reſurgit,
Quo fuerat clauſus Rex etiam Igne redit.
Gaudet & occulto thalamo, flagranteque amore
Proſequitur Sponſam qua licet arte ſuam.

CXXXI.

ARANVS MEDIANVS PHILOſophus.

Ni primo agnoſcas ſpecies, benè poſtea iungas
Vt generare queant, tum nihil efficies.
Sit tibi fons igitur Solem ſimul atque Dianam
Qui lauet, & propriis ſoluat & intret aquis.

CXXXII.

PALMARIVS INTER PHILOſophos.

Seruus odoriferæ coniunctus amore Sorori,
Illius optato plaudat ouetque toro.
Filius ad ſuperas illinc generabitur auras
Dißimilis Matri diſsimiliſque Patri.

Præſtat



DVMBELEIVS PHI- losopho Chijmicus.



BERNHARDVS DE Gravia Philosophaster.



ARANVS MEDIAN, Philosophus.



PALMARIVS IN- ter Philosophicos.

Præstat fusionem metallicam, & tamen non est metallum Philosophorum.

Filius noster mortuus viuit, Rex ab Igne redit, & coniugio gaudet occulto.

Nisi quis sciat ducere impraegnare & generare species, nil fit, nec aliud peragitur.

Coniunge Seruum Sorori odoriferæ & filiũ gignent qui non assimilatur Parentibus.

CXXXIII.

MELCHIOR CARDINALIS ET Episcopus.

Caudiuorum caute gladio trucidate Draconem,
Ipsius vt melius membra patere queant.
Dum morietur enim tum cognoscetis eundem,
Atque in eo magnas inuenietis opes.

CXXXIV.

MALCHAMECH PHILOSOPHVS Chymicus.

Inquiras geminum gummi quod iungere possis,
Vt fluat humidulo sic velut Vnda pede.
Aut cum viroso coniunge Dracone Leonem,
Et iunctos vinclis Mercurioque tene.

CXXXV.

ANONYMVS SARMATA CHYmicus.

Candidus æquoreis vt primum surget ab vndis
Cygnus, ei flores pulchra Diana dabit.
Si non Phœnicem vis expectare rubentem,
Floribus his albis te recreare potes.

CXXXVI.

AVTHOR CYMBALI AVREI.

Tu qui magnarum quæris miracula rerum,
Adsis dum flores fert rosa pulchra suos.
Adspicies illam splendente rubescere Sole,
Id quod fit spatio temporis exiguo.

Sapien-



MELCHIOR CAR-dinalis et Episcop.

MALCHAMECH Philosopho Chimicus.

ANONYMVS SÆR-mata Chijmicus.

AVTHOR CYM-bali Aurei.

Sapienter eum occidere oportet, quia mors eum reuelabit.

Matronifica gummi cum gummi vero matrimonio, & fac illa ſicut Aquam recentem.

Viſa albedine infrigida opus tuum & inuenies Lunam colore Solis.

Morare prope vas, & vide mira, quia albeſcit & citrineſcit citius quam tribus horis.

CXXXVII.

AVTHOR ROSARII MINORIS.

Germen Apollineum viridante colore nitescit,
Et superat quamuis candor in Orbe niuem.
Hinc corpus coruus sed spiritum amæna Columba
Mumiam Phœbi post Salamandra dabit.

CXXXVIII.

SCALA PHILOSOPHORVM.

Mercurium purum quem nunquam lædere poßit
Flamma vorax, nostrum nosce magisterium.
Hic alios coget, secumque tenebit in Igne,
Ditabitque opibus cuncta metalla suis.

CXXXIX.

TESTAMENTVM PYTHAGORÆ Philosophicum.

Nil sine flammiuomo Phœnix operabitur Igne,
Sic velut absque armis nil quoque miles agit.
At si flamma iuuet, Leo tunc Aquilam ore vorabit,
Quorum ope rebus opem Lunaque solque ferent.

CXL.

TVRBA PHILOSOPHORVM AC Sapientum.

Fac coeat, tum concipiat, prægnansque marito
Proferat, & natum nutriat illa suum.
Inde Mathematicas solues Physicasque figuras;
Re bina ex Ouo tum quoque lætus eris.

Prima



AVTHOR ROSA„ rij Minoris.



SCALA PHILOSO„ phorũ philoſophica.



TESTAMENTVM PY„ thagoræ philoſophicũ.



TVRBA PHILOSO„ phorum ac ſapientum.

Prima germinatio eſt viridis ; ſecunda albeſcens, quæ omnes albedines Mundi vincit.

Mercurium purum & fixum habe pro magno Lapidis occulti magiſterio.

Sine Igne nil operatur, vt nec bellator abſque armis.

Prima diſpoſitio eſt coitus ; ſecunda conceptio, tertia prægnatio, quarta ortus, quinta nutrimentum.

CXLI.

LVDVS PVERORVM PHILOſophicorum.

Materiam noſtri Lapidis cognoſcere promptè
Quiſque potes, nullus ſed tamen hancce videt.
Quærentum pedibus calcatur ſcilicet illa,
Et puerorum illa ludere turba ſolet.

CXLII.

AVRORA CONSVRGENS PHIloſophica.

Quæ mare, quæ tellus, vel quæ fouet aeris aura
Omnibus his vegetans Spiritus intus ineſt.
Ergo mari noſtro Sirenem quære maritam,
Vbera quæ cupido lacte referta gerat.

CXLIII.

AVTHOR SPECVLI CHYMICÆ Artis.

Ceſpite gramineo ſub aperto lumine Cæli,
Gaudenti thalamum cernere mente decet.
Qui cupidos fructus noſtri expectatis amoris,
Ornabit veſtrum pulchra corolla caput.

CXLIV.

AVTHOR VIÆ VNIVERSALIS Sapientiæ.

Ecce nouem Muſæ pulchram de flore Coronam
Purpureo, natis impoſuere meis.
At Charites illis blandum adiecere decorem.
Turba Leonum illo gaudet ouatque bono.



LVDVS PVERORV̄
Philoſophicorum.



AVRORA CONSVR-
gens philoſophica.



AVTHOR SPECV-
li chymicæ artis.



AVTHOR VIÆ UNI-
verſalis ſapientiæ.

Res poteſt eſſe etiam multis non videntibus, attamen pedibus calcantibus.

Omnibus rebus ineſt ſuus innatus Spiritus, quo vegetantur & creſcunt.

Cubile ſub dio ceſpes eſt gramineus, qui multum facit ad delectationem nouorũ Coniugũ.

Muſæ nouem coronam ex purpureis floribus, Charites pulchritudinem & gratiam donant.

CXLV.

AVTHOR DE QVINTA ESSENtia Vini.

Ludit Apollo chely, flores fert Luna rosarum,
Saturnus Coruo concomitatus ouat.
Mirum est tristitiam semel hunc posuisse malignam,
Illud ne videas arbor opaca facit.

CXLVI.

AVTHOR LVCIS LVCENTIS IN tenebris.

Iupiter hic niueo, rubeo Mars fortis vt Heros,
Nigro Mercurij lympha colore nitet.
Si vis Naturam rerum cognoscere rectè,
Fac pateant oculis interiora tuis.

CXLVII.

AVTHOR TRACTATVS DE Aurelia.

Sancta Trias hominem similem sibi quando creauit,
Exemplum Lapidis fecerat huncce sacri.
Scilicet è limo postquam formauerat illum,
Spirando vitam contulit huicce suam.

CXLVIII.

AVTHOR SPLENDORIS SOLIS Philosophici.

Ex Sole & Luna nascetur Filius ille
Quærere quem semper millia multa solent.
More Aquilæ tandem sublatus ad alta volabit,
Effugietque oculos turba maligna tuos.



AVTHOR DE QVINta Eſſentia Vini.



AVTHOR LVCIS LVcentis in tenebris.



AVCTOR TRACTAtus de Aurelia.



AVTHOR SPLENdoris ſolis philoſophici.

Apollo ludit cythara, Diana fert roſas albas, Saturnus ſtolam nigram.

Iupiter tenet interulam ſubalbam, Mercurius peplum, Mars petagium.

Huius rei talis eſt diſpoſitio, quæ Hominis creationi aſſimilatur.

Ex Solis & Lunæ Seminibus naſcitur ille, qui quæritur à millies millibus, & rariſſimè inuenitur.

CXLIX.

AVTHOR HORTI DIVITIA-ium Sapientiæ.

Purpurea ornatur Cypris pulcherrima veste,
Reginam vt iures & facile esse putes.
Hæc vrens vrsum perfundens atque Leonem,
Sulphur Mercurio iungere rite docet.

CL.

AVTHOR PROCESSVS DE TINctura Philosophorum.

Flammiuomo quoniam Rex sceptriger Igne resurgit,
Illius pulchrum fert diadema caput.
Ergo iam nostro fælix dominabitur Orbi,
Tutus ab Insidiis mors truculenta tuis.

CLI.

AVTHOR TABVLÆ SENIORIS Philosophi.

Percutiamus eum semel, & repetamus idipsum,
Donec post obitum mollia membra gerat.
O Draco qui fueras viuendo durus & asper
Iam melior tumulo mollior atque redis.

CLII.

ALLEGORIA MERLINI PHILOsophica.

Saturnus lethi dominus Coruique Patronus,
Balneo in hoc calido frigida membra lauet.
Non orietur enim Rex, ni moriatur in illo.
Principium vitæ nam tenet ille suæ.

Venus



AVTHOR HORTI diuitiarum ſapientiæ.



AVCTOR PROCESſus de Tinctura Philoſ:



AVTHOR IN TAbula ſenioris philoſophi:



ALLEGORIA MERlini Philoſophica.

Venus Regillam ſeu Veſtem regiam auro purpuraque inſignem gerit.

Rex ab Igne venit, aureo coronatus diademate Solari.

Faciamus illud multoties, donec moriatur & mollificetur.

Saturnus Planeta lethi, ecce hic nigram contulit ſtolam.

CLIII.
ALLEGORIA ARISLEI PARAbolica.

Cum Draco crudeli discerpserit ore Parentem,
Progeniem nostram semina iacta dabunt.
Namque putrescendo dum concipientur in aluo,
Excrescent oris iam genita aereis.

CLIV.
AVTHOR ÆNIGMATVM Chemiæ.

Quisquis es aurif ri qui quæris sperma metalli,
Argentum viuum nosce, beatus eris.
Scilicet id nostra poterit si iungere Terræ,
Aufugiet celeri non magis hocce pede.

CLV.
CLANGOR BVCCINÆ PHILOsophicæ.

Inuentum corpus liquidam soluatur in vndam,
Hæc tibi quæsitum Semen in Orbe dabit.
Pulchricomam parient sic membra Senilia nympham,
Tractatu facilis tum Leo noster erit.

CLVI.
AVTHOR DE LAPIDE PHILOsophorum in duodecim Capitibus.

Quæ tibi causa fuit vitæ vt susceperis auram,
Causa eadem pariter iam tibi mortis erit.
Ne tamen hanc metuas. nam quod te morte necabit,
Te rursus propria viuificabit ope.

Con-



ALLEGORIA ARIS- leo parabolica.

AVTHOR ÆNIG- matum chemia.

CLANGOR BVCCINÆ Philosophicæ.

AVTHOR DE LAPIDE Philosoph: in 12. capitibus.

Conceptio & desponsatio fit in putredine, & generatio generatorum fit in aere.

Sperma nostrum est Argentum vivum, quod coniungitur cum terra nostra.

Terra Corporis soluatur in Aqua Spermatis, & fiet Aqua sine diuisione vna.

Quæ tibi causa fuit Vitæ , ipsa quoque fuit causa mortis.

CLVII.

SVMMA TEXTVALIS PHILOsophica.

Argentum viuum nisi mortificetur in illo
Corpore quod summi dextra Tonantis habet:
Tum nihil efficies, Aquila quoque non Leo blandus
Iungetur, nec quas quæris habebis opes.

CLVIII.

CODEX VERITATIS DE SApientia Philosophica.

Viperea vt primum Natus cum Matre tenellus
Concumbet, sæua Matris ab ense cadet.
Ne metuas mortem puer optime, quæ tibi vitam
Sustulit, hanc rursus Mater amanda dabit.

CLIX.

OSWALDVS CROLLIVS VETteranus, Philosophorum discipulus.

Est secreta nimis Sapientia summa Sophorum,
Et tenet occultas totius Orbis opes.
Si cupis hanc, ora prudens & in Arte labora,
Offeret optatum tum tibi Ioua bonum.

CLX.

IOHANNES-DANIEL MYLIVS VETteranus, Sapientiæ Philosophicæ Discipulus.

Alta magisterij mysteria quærere, Christo
Auspice, diuinas est reputare vias.
Sic poteris magni compendia cernere Mundi,
Principium & finis sic tibi notus erit.

Nisi



SVMA TEXTVA- lis Philosophica. | CODEX VERITA- tis de sapientia philosophica

OSWALDVS CROLLI9 Veteranus, Philosophorū Discipulus. | IOHAN DANIEL MYLIVS Veteran9, sapientiæ philosophicæ Discipulus.

Nisi argentum viuum mortificetur cum Corpore occulto, nil valebit.

Quam primum filius cum Matre concumbit, viperino conatu eum occidit.

Hæc Scientia non est nisi de occultis Sapientum Præceptorum ac Philosophorum.

Hoc est in Magisteriis ac diuinis viis ambulare, comite Domino nostro Iesu Christo.

LAVS DEO.